

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Atlas minor Gerardi Mercatoris**

**Mercator, Gerhard**

**Amsterodami, 1610**

Iodocus Hondius lectori S.D.

[urn:nbn:de:bsz:31-118360](#)



## Iodocus Hondius Lectori S.D.

EC T E illi meo judicio senserunt, benevole Lector, qui inter disciplinas liberales, quæ citra controversiam plurimum adferunt utilitatis vitæ mortalium , pri-  
mum locum Geographiæ tribuunt, non tantum ob id, quod absque hac cæca est  
omnis veterum auctorum lectio, surda rerum gestarum narratio : Verum etiam  
quod in publicis consultationibus, inque dirimendis controversiis , quoties de-  
ditionis finibus ambigunt Principes, vel fideli consilio, vel æquo judicio juvat.  
Nihilo secius & in privatis actionibus plurimum adferens & commoditatis & voluptatis.  
Geographiæ siquidem inest mirifica quædam doctrina, incredibili rerum varietate a jucundi-  
tate distincta, quæ Lectoris & Spectatoris animum suavi quadam delectatione allicere & ad  
pleniorem sui cognitionem excitare solet. Quidquid enim admirandum, quidquid uspiam  
gentium, ( præsertim hoc nostro seculo, in quo in omnes mundi partes naves mittuntur,) ter-  
rarum, locorumve existit, id omne Geographia dilucide Lectori ob oculos ponit. Denique  
non solum Gentes & Regiones, Insulas, Vrbes, Maria, Flumina, Lacus , Paludes, Nemora, Vé-  
tos , Latitudines ac Longitudines per Gradus & Minuta suis descriptionibus complectitur:  
Verum etiam singularum Regionum res memorabiles, præclarè ac fortiter , tum domi , tum  
militiæ gestas, tam graphicè depingit, ut communi calculo nihil sit ad civilem sapientiam uti-  
lius ac præstantius existimandum.

Quocirca plurimum laudandi illi sunt, qui in hac arte desudarunt: inter quos Abrahamus Or-  
telius, Daniel Cellarius, Anthonius Maginus, Paulus Merula, Petrus Bertius aliique: sed in pri-  
mis omnium doctissimus Mathematicus & conterraneus meus Gerardus Mercator, quamuis  
morte præpeditus Geographicum suum opus ( cui Atlantis nomen indidit ) ad finem per-  
ducere non potuit. Verum cum hoc ipsum a nobis superiori anno in lucem datum sit , adje-

(..) ij

Etis non

Eis non solum iis tabulis, quæ ad operis fastigium videbantur desiderari, sed etiam accuratis earundem descriptionibus opera & labore Petri Montani affinis mei elaboratis, adeo distractum est (secundam jam editionem in manibus habemus) ut ne unicum mihi quidem exemplar relictum sit. Sed cum plurimos de magnitudine operis & de ingenti pretio conqueritos audissem: tum quod nec commode ubique circumferri queant & parentibus ad rem attentioribus plerique vacuis laborent loculis. Mercatoris nostri Atlantemin minorem formam redigi, ut hac ratione & Geographiæ studiosis adolescentibus prodesse, & omnem conquerendi causam eripere possem. Hic vero Majorem Atlantem tam in ipsis Tabulis quam in Descriptionibus sequuti sumus: nisi quod in calce nonnullas ævi veteris Tabulas velut Coronidis loco adjunximus. Tu itaque benigne Lector his laboribus nostris, fruere, fave & vale. Ex Musæolo nostro Amstelodami Idib. Martii 1556.

Longitu-

